

3 *Thruaxton*, inter *Ambresbury* et *Andover*, *Hants*; pavimentum tessellatum, in quo medio Bacchi caput depictum est, in angulis quattuor capita quattuor temporum anni; inscriptio litteris constans rubris nigrisque alternantibus in margine superiore integra est, in inferiore perit paene tota.

QVINTVS NATAEVS NATALINVS ET BODENI

caput Bacchi

.....vO

Ric. Colt Hoare et Iac. Ingram *gent. mag.* 93, 1823 pars II p. 230 (inde Férussac *bulletin* 1824, 1 p. 236); prior deinde iterum accuratius in *Archaeologia* 22, 1831 p. 50; alter in *memoirs illustrative of the history of Wiltshire and the city of Salisbury in proceedings of the archaeol. institute* 1849, *Salisbury* (Lond. 1851 8.) p. 241 ss. (inde Th. Wright *the Celt* p. 204).

V. 2 [fecerunt ex] v[ot]o vel similia suppleverunt editores Angli, iidemque Bodenos gentem indicare sibi persuaserunt. Magis probabile est privatos homines eos fuisse condicionis fortasse peregrinae et pluralem numerum significare patrem et filium aut fratres cognomines. Versus alterius supplementa prorsus incerta sunt.

III. CLAVSENTVM

(*Bittern* prope *Southampton*).

Hants comitatus, *Belgarum* olim maxima sane ex parte territorium, in universum non multo plura vitae Romanae vestigia servat, quam *Cornwall Devon Dorset Wilts*. Viae Romanae, quae Regnis Londinium ducebat (itin. Anton. p. 478), vestigia videntur superesse satis conspicua; quae secuti antiquarii Angli dudum satis certa ratione trium oppidorum viae illi adiacentium situs potuerunt definire, Clausenti, Ventae, Callevae. Atque Clausentum quidem (itin. Anton. p. 478, 1) ad *Bittern* vicum prope *Southampton* situm quaerendum est; repertae sunt ibi praeter titulum huius capituli unicum (n. 4) columnae miliariae Gordiani, Galli et Volusiani, Tetrici duae, Aureliani, quas infra dabimus. De Clausento commentati sunt praeter Horsleium p. 441, Ric. Gough (*Goughs Camden* 1 p. 166. 189), alios:

1. Ric. Warner (*an attempt to ascertain the situation of the ancient Clausentum*. Lond. 1792 4.). Is vero titulos refert nullos.

2. Henr. H. Englefield (*a walk through Southampton cet., to which is added some account of the Roman station at Clausentum*. Lond. 1801 4., ed. II ibid. 1805 8.) titulos item non refert.

3. C. R. Smith (*Archaeologia* 29, 1842 p. 257 ss. et collect. ant. 4, 1857 p. 57), qui cum de miliaribus Tetrici ageret ibi repertis de situ quoque oppidi quaedam observavit accurate. Adde *assoc. journ.* 11, 1855 p. 325 ss. 12, 1856 p. 207.

Cum Ventae et Callevae titulos proposuerimus capitibus proximis, restat hoc loco de universi *Hants* comitatus antiquitatibus illud monendum agere

de eis praeter Ric. Gough inprimis Ric. Warner (*collections for the history of Hampshire and the bishopric of Winchester*. Lond. 1780—1795 3 voll. 4.) et Henr. Moody (*antiquarian and topographical sketches of Hampshire*. Winchester 1846 et 1851 8. et in *notes and essays, archaeological, historical and topographical, relating . . . to Hants and Wilts*. Winchester 1851 8.); quibus addenda sunt quae proferuntur a variis scriptoribus in *Archaeologia* (22, 1829 p. 49 ss.; 28, 1840 p. 441. 453; 31, 1846 p. 486. 35, 1853 p. 91 ss. et *proceed. of the soc. of antiq.* ser. II 2 1863 p. 327). In *Andover* (ubi villae rusticae reliquiae detectae sunt ad *Abbots Ann*) museum antiquitatum ibi repertarum dicitur conditum esse (C. R. Smith *gent. mag.* 1866 vol. 2 p. 468). Ad *Stockbridge* prope viam Romanam inter Ventam *Belgarum* et *Sorviodunum*, quae ex regione mediterranea ad mare ducebat aut *Durnovariam* versus aut versus Clausentum, reperta est massa plumbi Neronis nomine signata et infra edenda, ut inde per mare aveheretur sine dubio huc delata.

Ad *Hampshire* etiam Vectis (*Wight*) insula pertinet; ibique item, praesertim ad *Newport* oppidum, aedificiorum parietinae, nummi, tesserae plumbeae (quas infra dabimus), variae omnino antiquitates effodiuntur (cf. *Goughs Camden* 1 p. 208; Car. Englefield *a description of the principal picturesque beauties, antiquities and geological phenomena of the isle of Wight*. Lond. 1816 fol. p. 89 ss.; adde *assoc. journ.* 11, 1855 p. 177. 305. 12, 1856 p. 141. 159. 17, 1861 p. 332; *archaeol. journ.* 19, 1862 p. 168 ss. et *gent. mag.* 12, 1862 p. 24 ss.). Ipse vero nec *Southampton* adii nec insulam.

4 Rep. saeculo proximo ad *Bittern*.

D E A E

A N C A

S T A E G

E M I N V

5 S M A N T I

V S L M

deae *Ancastae* *Geminus* *Manti* v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)

C. R. Smith *archaeol. journ.* 2, 1846 p. 161 (I. Y. Akerman *archaeol. index* p. 79; Th. Wright *the Celt* p. 294); E. Kell *assoc. journ.* 13, 1857 p. 207 ss.

3. 4 c|EMINV Kell. 5 MANTI Smith; scribendum fortasse *Manli*.

IV. VENTA BELGARVM

(*Winchester*).

Ventam (Ptolemaeus 2, 3, 28; itin. Anton. p. 483, 2. 486, 11; Ravenn. 5, 31 p. 426, 10) cum *Winchester* hodierna convenire certum est (cf. *Goughs Camden* 1 p. 167. 196; I. Milner *history of Winchester* . . . 1798; *proceedings of the annual meeting of the archaeological institute at Win-*

chester, Sept. 1845. Lond. 1846 8.); sed praeter solita vitae Romanae vestigia et tegulas aliquot inscriptas (neque vero militares) e solo oppidi unica adhuc prodiit inscriptio, quam hic propono (n. 5). Servatur illa Londinii; unde locum ipsum adire supersedi.